



**Scientia Salvatis, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

252. Dominica 12. post Pentecost. De amore Dei, & proximi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](#)

430 Dominica 12. post Pentecosten.

MEDITATIO CCLII.

Dominica 12. post Pentecosten.

*De amore Dei, & proximi.*

**V**idebo Dominum Iesum ab amore  
Dei ad hominum dilectionem impelli,  
ut nucleus globus refilire solet ex mole op-  
posita, quā impetijt. Petam geminam hujus  
Samaritani charitatem affequi.

*Conf. 1.* Charitas erga Deum est virtus, qua  
Deum propter se ipsum, bonitatemque suam  
diligimus. Unde sunt rationes duas, ob quas  
summè amandus est Deus. 1. Quia summè  
amabiles propter se, & attributa infinita,  
præsertim propter Bonitatem, & Pulchritu-  
dinem. 2. Quia summè amat, præsertim ho-  
mines. Adde, quod amor ipse sit origo &  
fons omnium affectuum. Atqui Deus est  
charitas. Aetum amoris tria faciunt præ-  
stantissimum. 1. Bonitas supernaturalis,  
quam sumit à Deo, & superat omnium ho-  
minum & Angelorum actus naturales, o-  
mnisque dolores, & mala, etiam possibilia.  
2. Augmentum gratiæ, quod etiam minimo  
actui amoris Dei debetur. 3. Augmentum  
gloriæ æternæ, quæ actum amoris consequi-  
tur. Actiones charitatis sunt. 1. Affetu co-  
pulari & conjungi Deo, tanquam summo  
bone. 2. Velle Deo bona ejus, attributa vi-  
delicet,

delicet. 3. Gaudere de bonis Dei. 4. Desiderare, ut omnis creatura illum adoret, illique serviat. 5. Dolere de omnibus peccatis, quia sunt injuria Dei. 6. Proposere omnium mandatorum custodiam, imò & consiliorum, & inspirationum. 7. Lætari de omni eo, quod Deo placet, sive adversum fit, sive prosperū. 8. Tristari de eo, quod ei displaceat, & adversatur. 9. Postulare instanter charitatem.

*Conf.* 2. Charitas erga proximum est virtus, quā proximos omnes diligimus propter Deum. Incitant ad eam. 1. Hominis conditio, quia omnes fratres sumus. 2. Præcepit dilectionis utilitas, necessitas, suavitatis. 3. Eficacissimum exemplum Dei, Christi, Angelorum, qui omnes diligunt nos. Actiones charitatis erga proximum sunt: 1. affici erga homines, ut sunt capaces beatitudinis, propter Deum. 2. Velle illis omnia bona in ordine ad gratiam, & gloriam. 3. Velle illis etenim bona corporis, quatenus illis ad salutem conferunt. 4. Lætari de profectu spirituali eorum, & dolere de malis coram eis. 5. Cupere malis eorum remedium adferre. 6. Neminem temere judicare, neque contumere, sed quemvis juxta ejus qualitatem magni ducere. 7. Nemini obloqui, sed laudare, defactus benignè excusare, aut mode. ñe dissimulare, & ab eorum oculis, qui remedium

452 Dominica 12. post Pentecost.

medium adferre non possunt, abscondere.  
8. Omnes proximos juvare, verbo, opere,  
exemplo. 9. Inimicos diligere, benefacere  
his, qui oderunt nos, & paratos esse pro eo-  
rum salute vitam fundere.

*Conf. 3.* Samaritanum infundentem vinū,  
& oleum, ad vulnera illius descendantis in  
Hiericho, sed melior est panacea confecta  
ex melle & lacte sub lingua D. IESV: *Cant. 4.*  
quia postquam Sacerdos suā linguā super Ho-  
stiam verba consecrationis finivit, ibi est mel  
divinitatis, & lac humanitatis, inquit S. An-  
tonius *Tom. 6. cap. 2. num. 20. Opusc. 58.*  
*cap. 11.* Et Isaías Regis morbum sicubus  
appositis curavit. D. Thomas ait, quod  
ficus bis dictæ dulces, Corpus Christi D E I  
& hominis significant.

### MEDITATIO CCLIII.

Feria 2. Domin. 12. post Pentecost.

*De documentis ad consequendum  
dilectionem D E I.*

**V**Idebo, quomodo, ut lux Solis omnes  
stellas, oceanus omnia flumina, immen-  
sus ignis omnes igniculos absorbet, sic  
D E V S, qui charitas est, omnes ad se trahit  
amores. Petam similiter attrahi.

*Conf. 1.* Insipientium opiniones, & tepi-  
dorum murmurationes esse contemendas.

No*n*